

## EXPOSITIONIS EPISTOLE AD ROMANOS

**G**enit mortuus est, ad id pertinet quod est filius David: in quantum autem resurrexit a mortuis, ad id quod est filius dei, & dominus ipsius David, sicut alibi idem apostolus dicit. Nam & si mortuus est ex infirmitate, sed viuit in virtute dei: ut infirmitas pertineat ad David, vita vero aeterna ad virtutem dei. Ideoque in his ipsis verbis dominum suum designat eum David dicens. Dixit dominus dominu meo, sede ad dexteram meam. Donec ponā inimicos tuos sub pedibus tuis. Ex eo enim quod resurrexit a mortuis, sedet ad dexteram patris. Praedestinatus ergo ex resurrectione mortuorum, vt federet ad dexteram patris, videns spiritum David, non auderet dicere filium suum, sed dominum suum. Unde & consequenter hic adiungit, Iesu Christi domini nostri: postea quā dixit, ex resurrectione mortuorum: tanquam admonēs vnde illū David dñm suum potius quam filium esse testatus sit: non autem ait eum praedestinatum a mortuis, sed ex resurrectione mortuorum. Non enim resurrexione ipsa sua filius apparet, de propria illa & eminentissima dignitate qua etiam est caput Ecclesiae, cum & ceteri mortui resurserunt: sed filius dei praedestinatus est quodammodo principia resurrectionis, quia ex resurrectione omnium mortuorum ipse praedestinatus est id est, vt praeceperit & ante ceteros resurget designatus. Ut quod hic postum est, filius dei, cum dixisset, praedestinatus est, ad documentum valeat tantæ sublimitatis. Non enim sic praedestinari oportuit, nisi filium dei secundum quod est etiam caput Ecclesiae, vnde illum alio loco primogenitum ex mortuis appellat. Eum enim decebat venire ad iudicium resurgentium, qui precesserat ad exemplum: neq; ad exemplum omnium resurgentium, sed ad exemplum eorum qui sic resurrexiserunt, vt cum illo vivant & regnent in sempiternum, quorum etiam caput est, tanquam corporis sui. Ex ipsis enim resurrectione etiam praedestinatus est, vt ipsi principes fierent: ceterorum autem in sua conditione resurgentium non principes, sed iudex est. Non itaq; ex illorum mortuorum resurrectione praedestinatus est quos est damnaturus. Praedestinatum enim esse ex resurrectione mortuorum, vt præcederet resurrectione mortuorum, vult intelligi a apostolus. Hos autem precessit, qui ad ipsum celeste regnum quod eos præcessit futuri sunt. Propter quod non ait, qui praedestinatus est filius dei ex resurrectione mortuorum Iesus Christus dominus noster sed, ex resurrectione mortuorum Iesus Christi dominus nostri. Tantum dicit, qui praedestinatus est filius dei ex resurrectione mortuorum suorum: hoc est, ad le pertinentium in vitam aeternam: velut si interrogaretur, quorum mortuorum, & responderet, ipsius Iesu Christi dñi nostri. Ex resurrectione enim ceterorum mortuorum non est praedestinatus, quos non præcessit ad gloriam vitæ aeternæ, non utique fecerunt, quoniam ad peccatas suas impij resurrexerunt. Ergo ille tanquam filius dei virginis, etiam primogenitus ex mortuis praedestinatus est, ex resurrectione mortuorum. Quorum mortuorum, nisi dominus nostri Iesus Christi? Per quē accepimus, inquit, gratiam & apostolatum. Gratia cum omnibus fidelibus, apostolatum autem non cum omnibus. Et ideo si tantummodo apostolatum se diceret accepisse, ingratius exitisset gratiae, qua illi peccata dimissa sunt: tanquam enim meritis priorum operum accepisse apostolatum videretur. Optime itaque tenet ordinem causæ, vt nemo audeat dicere vitæ prioris meritis se ad Euangelium esse perducentem: quando nec ipsi Apostoli, qui ceteris membris post caput corporis supereminenter, accipere apostolatum proprie potuerint, nisi prius communiter cum ceteris gratiam quae peccatores faciat & insufficit accepissent. Quod autem subiungit, Ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius: ad hoc dicit apostolatum se accepisse, vt obediatur fidei pro nomine domini nostri Iesu Christi: hoc est, vt credant omnes in Christo, & signentur in eius nomine qui salutem esse cupiunt. Quam salutem non solis Iudeis, sicut nonnulli qui ex ipsis crediderant arbitrabantur, venisse iam ostendit cum ait, In omnibus gentibus, in quibus estis, inquit, & vos vocati Iesu Christi, id est, vt & vos sitis eius Iesu Christi, qui omnium gentium salutem est: quanquam non in numero Iudeorum, sed in numero ceterarum gentium sitis inueniti. Hucusque dixit ipse quis esset qui scribit epistolam. Est enim qui scribit epistolam, Paulus servus Iesu Christi, vocatus a apostolo, segregatus in Euangeliū dei. Sed quia occurrerat, quod Euangeliū respondit, quod ante promiserat per Prophetas suos, in scripturis sanctis, de filio suo. Item quia occurrerat, de quo filio suo respondit, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est filius dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, domini nostri Iesu Christi. Et quasi diceretur, quomodo tu ad eum pertinet & respondit. Per quem accepimus gratiam, & apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius. Item quasi diceretur, Que igitur causa est vt scribas ad nos & respondit, In quibus estis & vos vocati Iesu Christi. Nunc deinde adiungit ex more epistolæ quibus scribat. Omnibus, inquit, qui sunt Romæ dilectis dei, vocatis sanctis, etiam hic significavit benignitatem dei potius quam meritum illorum. Non enim ait, diligenteribus deum: sed, dilectis dei. Prior enim dilexit nos ante omnia merita, vt & nos eum dilecti diligenteremus. Inde etiam addidit, vocatis sanctis. Quanquam enim sibi quis tribuat quod vocanti obtemperat, nemo potest sibi tribuere quod vocatus est. Vocatis autem sanctis, non ita intelligentem est, tanquam ideo vocati sint, quia sancti erant: sed ideo sancti effecti, quia vocati sunt. Restat ergo vt salutem dicat, vt compleatur visitatum epistolæ principium, tanquam ille illis salutem: pro eo autem ac si diceret salutem, Gratia vobis, inquit, & pax a deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Non enim omnis gratia est a deo. Nam & iudices malo prebent gratiam in accipiendo personis aliqua cupiditate illi, aut timore perterriti. Neque omnis pax dei est vel ad illo, vnde ipse dominus discernens ait, Pacem meā Ioan. 14. do vobis: adiungens etiam & dicens, non se talem pacem dare qualem dat hic mundus. Gratia est ergo a deo patre, & domino nostro Iesu Christo, qui nobis M peccata remittuntur, quibus aduersabamus deo. Pax vero ipsa qua reconciliamur deo. Cum enim per gratiam remissi peccatis absumptæ fuerint inimicitiae, restat vt pace adhaeremus illi a quo nos sola peccata dirimabant. Sicut Propheta dicit, Non grauabit Esai. 59. aurem vt non audiat, sed peccata vestra inter vos & deum separant. Quibus remissis per fidem domini nostri Iesu Christi, nulla separatione interueniente pax erit. Fortasse autem quisque miretur, quomodo intelligenda sit iustitia iudicis dei, cum gratiam præbet ignoscendo peccatis. Sed hoc planè iustum est apud deum, quia vere iustum est, vt iij quos peccatorum suorum penitent, eo tempore quo nondum pernarum manifestus terror apparuit, misericorditer separatur ab eis qui defensione peccatorum suorum pertinaciter exquirentes, nulla penitentia corrigi voluit. Injustum est enim vt cum his illi ad confortium penale copulentur, qui vocantem deum non spreuerunt, & peccantes disperguntur sibi, vt quemadmodum ille peccata eorum, sic etiam ipsi odissent sua. Ea enim demum est humanæ iustitiae disciplina, non in se amare, nisi quod dei est, & odisse quod proprium est: nec aprobare peccata sua, nec in eis aliud improbare, sed seipsum, nec putare sati sibi esse vt sua peccata dispergant, nisi etiam vigilantissima deinceps intentione intentur,